

MONITUM.

Sequens exorcismus e Vaticano codice annorum 600, in quo Ambrosium auctorem præfert, exscriptus fuit. Quamvis autem in Romano Rituali idem habeatur; quia tamen illic dissecatus est in varias partes, ac locis etiam nonnullis aut additis aut immutatis diversus, eum ad manuscripti fidem hic exhibere, maxime ob scripti brevitatem, non sumus gravati.

EXORCISMUS.

613 Omnipotens Domine, Verbum Dei Patris, A
Christe Jesu, Deus et Dominus universæ creaturæ,
qui sanctis apostolis tuis potestatem dedisti cal-
candi supra serpentes et scorpiones: qui inter cæ-
tera mirabilium tuorum præcepta dignatus es
dicere: « Dæmones effugate (*Matth. x, 8*); »
cujus virtute victus tanquam fulgur de cælo Sata-
nas cecidit: tuum nomen cum timore et tre-
more supplex precor, ut indignissimo mihi, data
venia omnium delictorum, confidentiam et possi-
bilitatem donare dignetur; ut hunc crudelem dra-
conem brachii tui munitus potentia, fideliter et se-
curus aggrediar. Adjuro te ergo, omnis immun-
dissime spiritus, omne phantasma, omnis incursio
Satanæ, in virtute nominis Christi, qui post lava-
crum Jordanis in desertum ductus est, et in tuis te B
sedibus vicit; ut quem ille de limo terræ ad hono-
rem gloriæ suæ formavit, tu desinas impugnare, et
in homine miserabili non humanam fragilitatem,
sed omnipotentis Dei imaginem contremiscas. Cede
ergo Deo, qui te in humiliato famulo suo Job in
servitutem redegit: cede Deo, qui te et militiam
tuam in Pharaone, et in ejus exercitu per Moysen
servum suum demersit in abyssum: cede Deo, qui
te per Danielelem puerum suum in Beel perdidit, et
in dracone prostravit: cede Deo, qui te per fide-
lissimum suum David de Saule rege spiritalibus
canticis pulsam fugavit: cede Deo, qui te in Juda
traditore damnavit. Ille enim te nunc divinis ver-
beribus agit, in cujus conspectu cum tuis legioni-
bus tremens clamabas: « Quid nobis et tibi, Jesu C
fili David? venisti ante tempus torquere nos (*Matth.*
viii, 29). » Ille te flammis perpetuis urget, qui in
fine temporum dicturus est impiis: « Ite, maledicti,

in ignem æternum, quem præparavit **614** Pater
meus diabolo et angelis ejus (*Matth. xxv, 41*). » Tibi
enim, impie, et angelis tuis vermis qui nunquam mo-
ratur: tibi et angelis tuis inexstinguibile præpa-
ratur incendium; quia tu es, maledicte, homicidii
princeps, tu auctor incesti, tu sacrilegorum caput,
tu artium pessimiarum magister, tu hæreticorum
doctor, tu totius obscenitatis inventor. Exi ergo,
impie, exi, scelerate, exi cum omni fallacia tua;
quia hominem templum suum voluit esse Deus.
Sed quid diutius moraris? Da honorem Deo Patri
omnipotenti, cui omne flectitur genu: da locum
Christo Jesu, qui pro homine suum sanguinem fu-
dit: da locum Spiritui sancto, qui te per beatum
apostolum suum Petrum manifestavit in Simone,
qui fallaciam tuam in Anania et Saphira condem-
navit, qui te in Herode rege honorem Deo non
dante percussit, qui te in pessimo mago per apo-
stolum suum Paulum cæcitatatis caligine perfudit, et
per eundem de pythonissa verbo imperans exire
præcepit. Discede ergo nunc, discede, seductor; tibi
enim eremus sedes est, tibi habitatio serpens est.
Humiliare, prosternere: non est jam differendi
tempus. Ecce enim dominator Dominus proximat,
cito ignis ante ipsum ardebit, et inflammabit in
circuitu inimicos suos. Si enim hominem fallis,
Dominum non potes irridere. Ille te ejicit, cujus
oculis nihil occultum est: ille te expellit, cujus
virtuti universa subjecta sunt: ille te excludit, qui
tibi et angelis tuis æternam præparavit gehennam,
de cujus ore exiet gladius bis acutus, qui venturus
est in Spiritu sancto judicare sæculum per ignem,
amen.